

Exempla simplicitatis & lenitatis theologicae

Autor(en): **Bullinger, Heinrich / Jud, Leo**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1749)**

Heft 15

PDF erstellt am: **17.07.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394653>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

EXEMPLA
SIMPLICITATIS & LENITATIS
Theologicæ.

*Doctissimo & integerrimo Tigurinae Ecclesie Doctore
ac Ministro.*

D. HEINRYCHO BULLINGERO,
Patri in Christo venerando suo.

HAbeo tibi gratiam plurimam, Venerande Pater, pro Libellis duobus, quos mihi dono misisti, quorum postremus adversus *Schmidelinum* metas tuæ pristinæ mansuetudinis excederet, nisi tetra illa & olida fuligo, quam ex sua Officina tot follibus efflavie in Vos, vehementem adeo boream flagitasset, quæ fumum illum infernalem in suam Officinam reflaret. Novi nihil adtulit homo ille furiosus, præter pauca præstigiola Sophismata, quibus voluit suppetias ferre veteri cantilenæ, & insipida istorum argumenta acriore aliquo gustu condire; quod tamen frustra tentavit, ita totum hoc condimentum diluisti. Interim te puto boni consulere, si mihi dolet intime, quod fidei Simplicitate & ratione doctrinæ Apostolicæ sprete, istorum importunitate fit, quod non solum sanctissimum Christi corpus acerba pro nobis in cruce passum, sed ipsa quoque Divinitatis substantia per istas contentiones ita laceratur ac discerpitur, ut

facinorosorum cadavera inter manus Anatomicorum ; nulla ratione habita imbecillium , qui hujus artificii ignari nesciunt quo se vertant. Hoc refero potissimum ad Symoniana & Schegkiana illa Scripta , quibus nihil in hoc genere vidi subtilius & spinosius. Emergent hujus generis plura , nisi vis aliqua divina obsistat , ita pruriunt hodie ingenia doctorum. Remedium optimum erat Libellus tuus titulo , *Fundamenti solidi*. &c. Sed infatiabilis est quorundam aviditas altiora quam pro captu humani ingenii eruendi. Dissensiones quidem nunquam non erunt in Ecclesia Dei , certatim omnibus , qui aliquo sunt ingenio , contendentibus , ut aliquid inveniant , quod putant proxime accedere ad naturæ divinæ cognitionem & expositionem : nam innatus iste ardor cognoscendi Deum immortalem , authorem nostræ immortalitatis , nulla vis unquam extinguet : Inde fit , ut variæ orientur opiniones , quas reprimere tot retro Seculis nulla humana potentia potuit. Silentium publicum sæpe quidem ista indixit ; sed interim non audierunt imperium conscientiae , immo occasione nacta non aliter eruperunt in intimum recessum arctatae cogitationes , quam solet aer terræ visceribus clausus omnia percurrere & molem terræ quatere. Hoc me in vetera & recentia exempla intentum reddidit nimis (ut multis visum est) placidum erga non profus impie & contumeliose in Deum errantes & a me dissentientes. Quis enim in hac mortis umbra non cœcutit ad Cœli intuitum ? *Tertullianus* quoque his forte considerationibus motus in *Apologetico* excusat errores tales Dei magnitudine , existimans non sponte factos esse sui temporis Hæreticos , sed per occasionem Naturæ divinæ cognoscendæ. D.

Calvinus

Calvinus sanctæ memoriæ , & convictu aliquot annorum mihi familiarissimus , sæpe mecum amice altercatus est , nimiam meam Lenitatem reprehendens : Sed audito responso , malle me nimia lenitate quam atrocitate peccare , sese continuit , & ad extremum usque spiritum me amavit , ego eum colui. Sed quorsum hæc ? Si ista ratio hodie obtineret , o felices Dei Ecclesias , his contentionibus non contaminatas. Silentium & patientia præsentissima erant antidota adversus turbas istas. *Lutherus* solus regnare voluit , nec parem ferre potuit , minus superiorem : Hunc sequuntur discipuli ejus , neque patientur dividi imperium ; nam de concedenda victoria aliis prorsus actum est. Nos obtulimus eis amicitiam , quam pedibus calcatam contumeliose remiserunt nobis : Ita ut per Dei Gratiam culpa omnis turbarum penes illos sit. Quid nunc restat ? Remedio nullo tot malorum sese offerente , degamus in hoc Seculo ut possumus , quando ut volumus non licet : Dominus brevi , ut spero , veniet. Si unquam Te offendi , Pater venerande , vereor ne tam longa & inanis Epistola offensarum maxima sit. Sed condona hoc Seni , candido , nullum responsum a melioribus occupato flagitanti : neque enim quaero aliquid , sed propono ; & hac lege crebrius scribam , ne rescribas. Ego enim ociosus hoc facio , tu succumbis plane negociis arduis & Dei populo necessariis. Vive & Vale ad Domini gloriam quantum in piorum omnium est votis. Bernæ 24. Martii 1575. *Tui observantissimus*

Nicolaus Zerchintes , Senior.

Salutem dic velim meo nomine D. D. & Symmystis tuis omnibus , privatim fratri D. Halleri , affini bis conjunctissimo. S. Val-

II. S. Valde gratum mihi est, quod munera illa mea chartacea, ad Te per me missa, Tibi Vir Ampliss. & amice ac frater honorande placuerunt. Equidem in omnibus aliis officiis ex animo Tibi cupio gratificari. Judicium vero Tuum de Mysteriis Christi ab Apostolis simpliciter & minime spinose traditis Ecclesiae, eadem vero involvi & obscurari humana temeritate & subtilitatibus parum perspicuis & utilibus, immo noxiis quoque, modis omnibus approbo, ut qui nunquam toto illo Ministerii mei tempore istis sim vel usus vel delectatus. Studui semper, & studeo adhuc, ac dum vixero studebo Mysteria illa salutaria Servatoris Domini & Redemptoris nostri simpliciter, perspicue & ad captum popularium tradere, prout ab Apostolis & Apostolicis Viris accepi. Scotina illa Schegkiana odi, a Simonianis vero acumini- bus irreligiosis abhorreo profusus, ut de ipso Au- thore jam dicam nihil. Quod vero responden- do in Andræana illa objecta prophana nos immer- simus profundius, provocati & inviti, interim veritate cogente fecimus. Non ignoras, quas in Ecclesiam fabulas invexere Valentiniani, quibus tamen optimi & Sanctiss. Viri *Irenæus*, *Tertullia- nus*, & cæteri responderunt, saltem ne his præ- stigiis occæcarentur simpliciores. Scis præterea alia requiri & spectari ab iis, qui versantur in di- dacticis, alia vero ab iis, qui desudant in pole- micis. Quodque Scripti genus suum modum & suam rationem habet. Si adversarius ille noster maledicentissimus & garriendo insuperabilis, per- rexerit sua retexere Sophismata, indignum puta- bo cui Vir pius respondeat: Sordeat qui sordet. &c. Ego vero ex animo desidero immori Simplicitati Apo-
Apo-

Apostolicæ, olim a me in *Fundamento illo meo firmo*, & in aliis meis Scriptis adumbratæ. Dominum oro ut me confirmet & dirigat in viis suis. &c. Nondum plene restitutus sum, langueo adhuc ex diutinis & acerbissimis illis meis cruciatibus vel doloribus, qui etsi per singularem Dei gratiam, cui æternas ago gratias, sic satis desierint cessarintque, reliquerunt mihi tam languidum corpus, quod rependo circumfero, expectans plenam a Domino (si ita ipsi videatur) Sanitatem & restitutionem. Rogo tuis me illi precibus commendes, & hanc meam responsionem ad doctissimam & piissimam tuam Epistolam, boni consulas, utpote scriptam ab ægroto. Tuus sum per omnia profus, tu vicissim meus, rogo, esse perge & æternum cum universa tua familia Vale. Rogo digneris salutare Clariss. Virum, D. Steygerum, Cos. digniss. & Quæstores ærarios Viros optimos atque alios Viros bonos mihi perpetua observantia colendos. Tiguri V. Aprilis. 1575.

Bullingerus tuus,

* * *

HEINRYCHO BULLINGERO,
Fratri suo in Christo charissimo.

GRatia Dei tecum. Mitto tibi, charissime Frater, litteras *Capitonis & Buceris*, quos in angustia animi mei & tentatione non modica consulueram. Respondent amice, & vix dici potest, quantum me quietum reddiderint illorum litteræ plenæ charitate & spiritu. De Ecclesia ergo & pueris.

puerorum baptismo scrupulus magna parte exemptus est. Alter restat major fortasse & periculosior de quo *Suenkfeldius* olim ad me scripserat, cujus argumenta partim dilueram, partim incommoda, quæ hinc nasci poterant, objeceram, argumentis adjectis, quæ mihi tum fortia videbantur, quibus jam respondens conatur infirmare omnia. Adparet homo Gloriæ Dei esse admodum studiosus & zelum habere syncerum & ardentem. Quæ igitur hic scribit volui tibi mittere, obsecrans te, charis. Frater, ne fastidio dedigneris legere. Ego enim omnino puto nullius scripta esse contemnenda, quæ non manifeste contra Christum pugnant. In meam gratiam leges, spero, quæ alias non esses lecturus, ut pro gratia tibi donata & hunc scrupum mihi eximas & argumenta diluas. Patienter & æquo animo feras, mi Heinrice, infirmitatem meam & pro tua firmitate mihi manum præbe, nam hæreo, neque possum quicquam contra conscientiam, neque temere asseverare quod mihi minime est comperitum, seu de quo dubito potius. Argumentum est de libertate prædicandi, & an Magistratui in hoc negotio vel prohibere vel plectere liceat, qui ab his dissident quos ipse præfecerit. Hoc unum rogo, ut bona fide apud te *Schwenkfeldii* litteras serves, ne aliis legendæ tradantur: quisquis tandem sit (*Bucero* sordet; *Capitoni* gratus est,) *Schwenkfeldius* per me quidem nulla injuria afficietur, nec fama ejus lædetur. Mitto hoc libentius, ut videas me nihil novandis rebus studere, sed diligenter ab omnibus perquirere Veritatem. Tu vale, charissime Frater, & me ut soles ama.

Leo Jud, tuus.

N U.